MASTER NEGATIVE NO. 91-80211-16

AUTHOR:

NISLE, PAUL

TITLE:

DE BELLIS AB ANTONINO CARACALLO IN ...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1866

Master Negative #
91-80211-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Nisle, Paul, 1841-
De bellis ab Antonino Caracallo in Germania et Sarmatia gestis annis 212-214... Vratislaviae, typis F. W. Jungferi, 1866.
39 p. 21 cm.

Thesis, Breslau.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-12-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE BELLIS AB ANTONINO CARACALLO IN GERMANIA ET SARMATIA GESTIS ANNIS 212—214.

DISSERTATIO INAUGURALIS
HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. IX. KAL. APRIL. ANNI MDCCCLXVI HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS NISLE

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARII ERUNT

CONR. JURISCH, CAND. PHIL. AD. BÖHM, CAND. PHIL.

LODOV. STIEFF, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS F. W. JUNGFERI

VIRO

REVERENDISSIMO DOCTISSIMO

CAROLO GIRTH

PASTORI PRIMARIO ECCLESIAE VRATISLAVIENSIS AD ST. ELISABETH

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Post mortem imperatoris Severi a. 211 Antoninus, postea Caracallus cognominatus, et Geta filii ejus imperium bene firmatum adierunt, quorum prior jam ex anno 198, alter ex anno 209, quum pater in Britannia moraretur, Augustus factus est. Quapropter Severus moriturus utrique parem tribuit potestatem, qua quidem Geta unum tantum annum paucosque dies usus est. Occisus enim est a fratre, Romam reversus. Quo facto Antoninus, ut memoriam ejus plane exstingueret, non modo omnia, quae de eo commonebant, monumenta deleri, verum etiam omnes ejus amicos — Dione auctore viginti milia hominum — necari jussit. Quum igitur scelerum conscientia oppressus Romae diutius morari nollet, proeliorum concursu, armorum strepitu, hominum locorumque varietate, inter pericula et labores animum cogitationesque a fratris memoria sevocare conatus est.

Antoninus ex Urbe cum exercitu proficiscitur aestate a. 212; in Germania commoratur; bella cum Alemannis, Chattis, Cennis gerit vere a. 213; redit in Urbem fine ejusdem anni.

Antoninus praecipue imperii regiones septentrionales [1]) petiit prope Rhenum superiorem et Danubium superiorem sitas. Cum praetorianis militibus a Severo intra et extra urbem in unum coactis et ab eodem in numerum certe quadraginta milium auctis ex Urbe mense Junio a. 212 profectus est [2]). Duo itinera erant, quibus in Galliae provincias, quo tendebat, pervenire posset: unum via Aurelia, quae praeter litus per Tusciam, Alpes maritimas, Centum Cellas, Populonium, Lunam, Genuam, per Massiliam ferebat Viennam, ab urbe milliaria 794 remotam [3]), aut Mediolanum, quod ab urbe mill. 433 abest [4]); unde quattuor viae militares in Germaniam et Galliam ferebant: prima via ad occidentem versa per Alpes Cottias, Paviam, Laumellum, Taurinum, Montem Seleucum, Valentiam, quae ducebat Viennam: mill. 409 [5]). Secunda inter septentriones et occasum solis spectans via per Alpes Grajas, Paviam, Laumellum atque ad dextram flectens per Vercellas, Eporediam, Augustam Praetoriam, Genavam, Montem Brisiacum Argentoratum usque:

[1]) Herod. IV, 7.
[2]) cf. annotat. I.
[3]) Itiner. Antonini edd. Parthey et Pinder p. 139.
[4]) ibid. p. 139.
[5]) ibid. p. 169.

mill. 550 [1]). Tertia via per Alpes Penninas per Novariam aeque ac secunda per Augustam Praetoriam, tum ad septentriones versa per Summum Penninum, Vibiscum, Aventicum, Salodurum, Augustam Rauracûm, Argentoratum, Saletionem, Noviomagum, Borbitomagum Moguntiacum usque: mill. 419 [2]); denique quarta via per Veronam, per Athesis vallem, montem Rhaeticum, qui hodie »Brenner« nominatur, quae prope Danubium, ubi hodie »Günsburg« sita est, finem habebat. Exstructa et communita a Druso et Tiberio Neronibus »Claudia Augusta« nominabatur, qua quidem via Germaniae imperatores media aetate exercitus in Italiam ducere mercatoresque in Germaniam orientis merces portare solebant [3]). Harum, quas modo dixi, viarum Antoninus primum via, quae Roma Mediolanum [4]) ferebat, usus est, Spartiano auctore [5]), qui tradit, a Caesare Narbonensis provinciae proconsulem, ut primum in eam venit, esse occisum. Iter sive per Alpes Grajas sive Penninas fecit, quarum viarum unam Argentorati, alteram Moguntiaci finem cepisse supra jam commemoravi [6]).

Utrum iter Antoninus sit ingressus, incertum est; si permagni interfuit imperatoris, quam celerrime ad Rheni ripas pervenire, consentaneum est, viam propiorem per Alpes Penninas, Argentoratum, Moguntiacum esse praelatam. Tamen constat [7]), imperatorem Helvetiam occidentalem ingressum, Argentorati copiis in unum contractis praeter laevam Rheni ripam profectum mense Augusto vel Septembri a. 212 Moguntiacum pervenisse [8]).

[1]) ibid. p. 165.
[2]) ibid. p. 167.
[3]) Mone in: »Urgesch. d. Badischen Landes« II, p. 276. cf. Mone »Anzeiger« 1835 p. 275 et emendata Bergmann. apud. Chmel: »Oesterreich. Geschichtsforscher« II, 2, p. 56 s.
[4]) Idcirco via Aurelia est excludenda, quod Vienna ad Rhenum viae militares non erant, quibus agmina proficisci potuissent. Idem de via per Alpes Cottias statuendum est, quae Viennae finem habebat.
[5]) Spart. i. Carac. V.
[6]) cf. annotat. II.
[7]) secundum inscript. ap. Steiner.
[8]) cf. annot. III.

Operae pretium est, quoad ad hanc rem pertinet, cognoscere Germanorum gentes, quibuscum imperatori, Rheni et Moeni regiones nacto, aut amicitia aut inimicitia fuerit. Propter opes, quas postea adepti sunt, et quod Antonini aetati summi momenti fuerunt, ante omnes gentes Alemanni referendi sunt, qui ab exiguis initiis profecti, sua virtute et rerum fortuna postea eam auctoritatem sunt assecuti, ut, quasi patrocinio omnium Germanorum suscepto, ab externis populis tota Germania ab eorum nomine sit appellata. Satis constat, hanc gentem, quae ab ejusdem aetatis scriptore commemoratur, tunc demum exstitisse [1]). Nam etsi Ammianus Marcellinus [2]) in historia imperatoris Trajani Alemannos centum annis ante commemorat, tradens hunc imperatorem diutius in hac finium Romanorum parte commoratum in Alemannorum solo castellum exstruxisse — quod hodie nominatur »Kronenburg a. d. Höhe [3])« — tamen quum hic auctor multo post viveret, quo quidem tempore Alemanni per opes ac multitudinem gloriam nomenque assecuti erant, vero propius est, Ammianum regiones significare voluisse, quas postea Alemanni incolebant; nullo enim modo comprobari potest, hanc terram a gente Alemannorum, Trajano imperatore, occupatam fuisse. Quo loco habitaverint, e tabula Peutingerana elucet, quae, quum composita sit non multo post quam Alemanni extiterunt, fide dignissima est. Quae quidem eos indicat silvam Marcianam a meridie, a regionibus sitis inter septentriones et orientem Chattos et Hermunduros attingentes, ab occidente Rhenum. Habitasse videntur praeter Moenum amnem in utraque ripa a fonte ad ejus os [4]); a regionibus autem sitis inter meridiem et orientem fines eorum ultra limitem pertinebant usque ad Armalausos, quos Celticas complures gentes minores fuisse ex Ptolemaeo satis apparet. Qui quidem omnes has illo nomine complectens fines hos affert: ab occidente solitudinem illam Helveticam, quam ille vo-

---

1) Dio 77, 13: στρατεύσας (ὁ Ἀντωνῖνος) δὲ πρὸς τοὺς Ἀλαμβανούς . . . .

2) Marcell. 17, 1: trans Moenum nomine fluvium . . . et dum nullus obsisteret, munimentum, quod in Alemannorum solo conditum, Trajanus suo nomine voluit appellari.

3) Huschberg, Gesch. d. Alem. u. Franken, p. 81.

4) Zeuss »Die Deutschen« cet. p. 308.

cat »ἔρημος«, a meridie fluvium Danubium, a septentrionibus Marsingos, quos Germanos fuisse e nominis terminatione: »inger« manifeste intelligitur. — Hae fuerunt Alemannorum sedes circiter a. 230 p. Chr. n., quo quidem tempore Tabula Peutingerana sit composita. Tunc autem (i. e. a. 230), quod ex inscriptione super allata [1]) elucet, finibus in meridiem promotis, jam limitem perruperant.

Quae sit nominis origo, quod a scriptoribus Graecis et Latinis varie scribitur: ab illis »Ἀλαμανοί, Ἀλαμαννοί, Ἀλαμβανοί, Ἀλβανοί«; ab his: »Alamanni« et »Alemanni«, praecipue autem, e quibus gentibus Alemanni coaluerint, quaeque fuerit consociationis causa, controversia est. Nominis origo quidem apparet ex Asinio Quadrato, florenti medio saeculi tertii, quem Agathias scriptor Byzantinus gravissimum de rebus Germanicis auctorem nominat; ex hujus Asinii fragmento cognoscimus, vocem Alemannorum »diversarum gentium viros« significare [2]). Quamvis igitur de significatione vocis illius, cujus parum interest, variae sententiae afferantur, quarum enumerandarum locus non est, tamen novam Alemannorum gentem non unam fuisse, sed ex diversis gentibus in unius populi corpus coaluisse ab omnibus conceditur. Discrepant autem, e quibus gentibus societas illa constiterit. Hoc quidem constat, Alemannos quamvis extra limitem, tamen hunc proxime prope ripam Moeni septentrionalem exstitisse [3]). In horum foedere versabantur Usipetes

---

1) cf. de sedibus annot. V, inscript. ap. Wenck. I, § 2, p. 14, not. w. — Schmidt I, § 5, p. 25 et 26 not. i. — Steiner, p. 304 et 633.

2) Agath. I, 6: οἱ δὲ Ἀλαμαννοί, εἴγε χρὴ Ἀσιννίῳ Κουαδράτῳ ἕπεσθαι, ἀνδρὶ Ἰταλιώτῃ, καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγραψαμένῳ ξυγκλυδές εἰσιν ἄνθρωποι καὶ μιγάδες καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία.

3) Stälin, p. 116. — Huschb., p. 80, 81 sqq. — Itaque ea, quae vult de Wersebe in opere praestantissimo: »Ueber die Völkerbündnisse des alten Deutschl., p. 139 sqq.« parum idonea sunt, qui quidem affert, Alemannos medio in Romanorum agro exstitisse et contra Antoninum rebellasse. Idem, quamvis Tab. Peut. perspicue eos a meridie silvam Marcianam attingentes indicet, tamen sedes eorum prope ipsam silvam septentrionalem ponit, et quidem a septentrionibus fluvium Albam attingentes et Nicrum superiorem usque ad rivum, qui hodie dicitur »Vils«, praetermittens hos circiter 50 annis post usque ad has regiones se promovisse.

et Tenchteri, qui a meridie Mattiacos, ab occidente Rhenum flumen attingebant. Illi quidem in hac nova gentium societate propter civium numerum atque opes summa fuerunt auctoritate[1]), quos Tacitus equitandi arte celeberrimos praestantissimosque commemorat; quare ab iis ceterae societatis gentes, ut ex equo dimicarent, adductae videntur, qua arte Romanorum admirationem moverunt[2]). Praeter Tenchteros et Usipetes Alemannorum societas e Mattiacis composita erat, quorum sedes erant inter Moenum, Laganam et Rhenum, ubi hodie ducatus Nassoviensis est; deinde ex Tubantibus[3]), qui a meridie attingebant Chattos; denique Ptolemaeus permultas parvulas praeter limitem gentes enumerat, quarum postea non fit mentio: quae sunt Καριτνοὶ, Οὐαργίωνες et secundum Moenum superiorem Μαρουίγγοι. Has, quas modo dixi, gentes cum Alemannis coaluisse satis constat; de Chattis autem et Hermunduris, quos Stälin[4]) et de Wietersheim[5]) in unum populum confusos esse existimant, hoc pro explorato non habemus, certe quidem non de universa gente, quum Tab. Peut. Chattos atque Hermunduros indicet, qui a meridie attingant Alemannos[6]). Quod de Wietersheim affert, Suevicos Juthungos Alemannorum partem fuisse, item probari non potest, quod et Tab. Peut. indicat, eos quoque separatos ab Alemannis, a septentrionibus Marcomannos et Quados, a meridie Danubium attingentes, a castris Batavorum circiter usque Posonium habitantes, et quod primum Aurelio imperatore exstiterunt[7]); medio quarto saeculo demum ab aequali[8]) nominantur inter Alemannos.

---

[1]) Zeuss s. v. Alamanni.

[2]) Vict. de Caes XXI: Alamannos, gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem . . .

[3]) Auctore Zeuss s. v. Alam. quocum disssentit de Wietersh., qui eos eo usque septentrionis habitasse putat, ut nequaquam societati illi accedere potuerint.

[4]) Stälin, p. 116.

[5]) de W. II, p. 207.

[6]) de Wietersh. II, p. 205, sibi repugnat, si totam Chattorum gentem cum Alemannis coaluisse existimat. Postea, ut hanc contradictionem tollat, nonnullos tantum hujus gentis comitatus cum Alemannis conjunctos bellum contra Antoninum gessisse opinatur.

[7]) Dexipp. i. exc. legatt. ed. Bonn. p. 11.

[8]) Amm. Marcellin. 17, 6: Juthungi Alemannorum pars.

Quae causa fuerit, cur permultae gentes liberae nominibus depositis secum conjunxerint, certe explorari non potest. Proxime ad verum accedit, quod putat de Wietersheim[1]), gentes diversas communibus utilitatibus, ut se adjungerent esse adductas, qui cum Asinio Quadrato consentit, Alemannos e compluribus gentium diversarum comitatibus esse ortos, qui ad aggrediendos agros decumates se conjunxissent. Quod plane credibile videtur, praesertim quum Alemannos, ubi consilium conjunctionis ad occupandas transrhenanas Romanorum possessiones post mortem imperatoris Probi ad finem perduxerunt, sub compluribus regulis fuisse inveniamus[2]), quos paullatim inter continua bella e ducibus comitatuum illorum esse ortos, optimo jure statuendum est. Hi reges, quos Ammianus commode regulos appellat, ex suo numero unum vel duos, penes quos summa imperii esset, per bellorum tempora elegisse videntur. Medio enim quarti saeculi in proelio ad Argentoratum commisso quattuordecim[3]) Alemannorum reges enumerantur, qui duobus principatum tradiderant. Consilium quoque, quod novam gentium societatem sibi proposuisse de Wietersheim existimat, plane respondet quum Germanorum moribus et naturae, tum rerum statui, qui tunc erat. Bello enim Marcomannico[4]) Germani satis cognoverant, quam infirmum esset imperium Romanum. Barbari truces tunc armis erant assecuti, quae raro antea gratia atque clementia imperatorum: sedes, largitiones frumentarias, magnam pecuniae vim specie annuae donationis. Atque quum crebris irruptionibus divitias populorum imperio Romano subditorum cognovissent et cum, Romanis saepenumero manibus consertis, iis persuasum esset, se suapte vi, virtute, constantia eorum opes et terras fertiles esse correpturos, non mirum videri potest, quod barbari experti suas atque Romanorum vires consilium coeperunt conjunctionis. Quae quum ita sint, necesse est Alemannorum societas, quod

---

[1]) t. II, p. 206.

[2]) Inter novem gentium diversarum reges, qui Fl. Vopisco auctore (i. vita Probi c. XV.) ad imperatoris Probi pedes prostrati erant, plures Alemannicos fuisse conjicere possumus, quod in eos inprimis imperator profectus erat.

[3]) Am. Marcell. XVI, 12.

[4]) Quod accuratissime de Wiet. dicit: »Dieser Hexensabbat aller Raub- und Raufbolde.«

bello Marcomannico nusquam memoratur, orta sit extremis viginti annis saeculi secundi. Quam ob rem, quae Amm. Marcell.[1]) de Alemannis jam Trajano imperatore dicit, ita, ut supra fecimus, intelligenda sunt. Paullatim augebant societatem gentes, quibuscunque par erat consilium; sollicitabant autem eam, quae amicitia, foedere, aliis necessitatibus cum Romanis conjunctae erant. Inter quos ante omnes Chatti nominandi sunt, qui, quamvis Alemannis finitimi et saepius ab iis, ut se aggregarent, invocati hoc non modo non fecerunt, verum etiam iis parum erant amici[2]). Quare Chattos postea ad Francos se adjunxisse accipimus[3]).

Severo atque Antonino imperatoribus haec gentium conjunctio prope limitem orta, quamvis opibus et auctoritate jam valida, non tamen ita viguisse videtur, ut provinciae periculo vel etiam exitio esse potuerit. Tamen Severus fine vitae vel Antoninus paullo post patrem mortuum pro necessario habuisse videntur munitiones ab Hadriano exstructas[4]) ac diu ab hostibus, neglectas firmari ac praesidiis augeri, quod apparet ex compluribus inscriptionibus[5]) inventis praeter limitem in comitatibus qui hodie nominantur »Idstein et Katzenellenbogen.« Si Antoninus munitiones limitis refici jussit — quod ex monumento[6]) a. 211 reperto in planitie, ubi situs est vicus

---

[1]) Amm. Marcell. XVII, 1.

[2]) Inter septendecim populos, quos Capitolin. i. Marc. Aurel. XXII. contra Romanos bellantes affert, Chatti non sunt, attamen eorum finitimi. Illos potius irruptione primis M. Aurelii imperii annis in Rhaetiam facta (id. c. VIII) ante bellum Marcomannicum initum pecunia et aliis concessionibus in Romanorum partes esse perductos recte conjici potest.

[3]) de Wietersch. II, 205.

[4]) Auctore Schmidt I, p. 25: vicus »Heddernheim« in civitate Moenofrancofurtensi situs, ab hoc imperatore nominatus est, sicut vicinus vicus »Trennfurt« ab imperatore Trajano.

[5]) Wenck, Hess. Landesgesch. I, § 2, p. 15, 16. not. x.

[6]) Wenck pag. supra allata. — Stälin, Wirtemb. Gesch. I, p. 115 sqq. — Steiner i. cod. inscriptt. Romann. Rheni et Danubii. Quod monumentum, in cujus basi insculpti sunt consules anni 211, index itineris erat, et quamvis soli pedes statuae servati sint, tamen e tempore et ex causis supra allatis hanc figuram Antoninum significasse, conjicere possumus.

»Liebach« certo conjicere possumus, quum Severus jam prid. non. Febr. procul in Britannia mortuus, Antoninus a mense Junio Romae moratus sit — omnimodo perspicuum est, cur iter quam celerrime ad ipsas Moeni ripas fecerit. Concludere possumus Alemannos, ut agros decumates aggrederentur, in animo habuisse — quanquam revera impetum non fecerunt, quod postea demonstrabitur — vel imperatorem gentes talis societatis praepotentes prope imperii sui fines veritum omnibus viribus esse enisum, ut suis et gentium aliarum Germanicarum illi societati infensarum, praecipue Chattorum, opibus Alemannos comminueret ac refringeret[1]). Quum postea idem factum esse inveniamus, hic quoque concludendum est, bellum Alemannicum ab Antonino diutius hoc loco morato[2]), esse citum, Chattos

---

[1]) de Wersebe quoque p. 227 et 228, not. 288, Chattos cum Antonino amicitia conjunctos fuisse putat. — Si incriptio (Steiner I, p. 136 n. 300) Moguntiaca:

»Pro Salute Dominorum nostrorum Imperatorum bono eventui militari exercitus Germaniae superioris Maternius Perlectus miles leg. XX. secundae primigeniae« . . cet.

ad Antoninum Caracallum referenda est, quod quum duo imperatores commemorentur, fieri possit, Antoninus ante stipendium a. 212 exercitus Germaniae superioris jam a. 211, quum uterque frater imperator esset, in Alemannos proficisci jussit. Hujus enim provinciae copiis inprimis impediendum erat, quominus nova societas, quae in eorum finibus exstiterat, in dies cresceret et vires corroboraret. Consulibus autem non commemoratis tempus illius inscriptionis definire non possumus; ad tempus quodlibet, quo antea vel postea duo fuerunt imperatores, pari jure referri potest, quod fecit Lehne, ei tempus Pupieni et Balbini non meliore arbitrio ascribeus.

[2]) Tres inscriptiones hoc demonstrant, in planitie hodie nominata »Liebacher Haide« in comitatu Idsteiniano inventae (Wenck I, § 2, p. 15, 16 not. x.). (Neuhof, Nachricht v. d. Alterthümern bei Homburg vor der Höhe), deinde inscriptiones »Pro Salute M. Aur. Antonini«, i. e. Caracalli, insculptae a militibus legionum VIII et XX, his regionibus (Steiner I, p. 300 n. 628) jam e Commodi temporibus stativa habentium repertae in castello Saalburgensi; denique alia (Steiner I, p. 103—4 n. 233) in loco hodie »Kastel« inventa proxime pontem Rhenanum circiter centum passus supra eum locum, ubi quondam fuit pons a Romanis in Rheno flumine factus. Quae inscriptiones, quamvis tempus, quo factae sint, non indicent, tamen ad hanc aetatem referamus, utique necesse est.

partim Romanorum munitionibus ac praesidiis finitimos[1]) stimulando, ut hostilia in Alemannos coeptarent, ut et ipse, causa, se Chattis auxilium ferre, interposita, Alemannos aggredi posset. Hoc bellum quum appararet, hiems a. 212 — 213 effluxit, quem imperator causis, quas supra memoravi, ductus proxime limitem degit, Moguntiaci, vel in castello hodie nominato »Saalburg«, quod non longe ab oppido Homburgio ad Taunum abest. Quorum in agris secundum limitem permulti nummi Antonini, Severi et Juliae inventi sunt[2]). Initio veris copiis ex hibernis eductis, quas in unum, quos modo dixi, locorum coegerat, contra Alemannos profectus est. Si a Moguntiaco exercitum movit, Rheno transmisso, laeva tectus munitionibus limitis, praeter vallum usque ad eum locum iter fecit, quo praesidia attingebant Moenum. Tum secundum flumen praeter laevam ripam profectus[3]) e Romanorum finibus excessit et flumine trajecto — quo loco exercitum traduxerit, incertum est — in septentriones versus Chattorum fines intravit, ut huic genti ab Alemannis pressae auxilio veniret. Inter has enim gentes simultates ortae erant[4]). Chatti, quum per imperatorem stimulati et auxilio a Romanis promisso sublati essent, Alemannorum agros ingressi bellum ultro intulerant. Alemanni autem superiores discesserant et bellum in Chattos transmiserant. Hic erat rerum status, quum Antoninus subsidium promissum ferret. Extra Romanorum fines[5]) in Chattorum agris prope Moeni ripam[6]) septentrionalem proelium commissum est, quo Alemannorum alae, quamvis acerrime restitissent, mense Martio[7]), vel initio Aprilis a. 213 victae sunt[8]). Postea bel-

[1]) Zeuss, p. 327.

[2]) Wenck II, § 11, p. 102 not. p.

[3]) cf. annot. IV. [4]) cf. annot. VII.

[5]) cf. annot. V. [6]) cf. annot. VI.

[7]) Tempus intelligitur inscriptione Lauingiana (Steiner IV, p. 76 n. 2558):

> »(Templum d) ei Apollinis Granni (pro salute) imperatoris Marci Au (rel) ii Antonini, pii felicis, augusti, germ. trib. pot . . . consulis patris patriae (posuit . . . Dio) nysius, legatus augusti pro praetore (prov. Raetiae. Dedicatum die . . . ante) kalendas junias«.

quae solum ad a. 213 referri potest, quod apparet e Dione (77, 15).

[8]) Vict. de Caes. XXI: Alemannos . . . prope Moenum amnem

lum contra Alemannos gestum esse non accipimus et e Dionis fragmento[1]) intelligimus, pacem esse factam[2]), ita ut Romanis auro tirones ex Alemannis conscribere[3]) liceret; quod credibile videtur, praecipue quum imperator Germanorum militibus praeter ceteros faverit[4]). In Chattorum agris diutius moratus castella et munitiones exstruxit, quasi alterum possessionum Romanorum praesidium[5]), quibus illi in maximum periculum libertatis amittendae et extremum paene discrimen se adduci satis intellexerunt. Quibus de causis amicitia inter Chattos et Romanos dissoluta, illae caedes factae sunt, quas a Dione commemoratas[6]) et a Spartiano confirmatas[7]), in Chattos esse perpetratas ex eorum situ ac positu conjici potest[8]).

De rebus ab Antonino Caracallo in Alemannia hactenus gestis rerum scriptores quaedam quamvis incerta atque obscura tradunt, e quibus opinari saltem possumus, quae imperator in patria nostra effecerit. Postea autem perpauca eademque confusa, aetatum ordine

devicit. — Spart. i. Car. X: nam Alemannorum gentem devicerat. — id. ibid. V: »et quum Germanos subegisset, Germanicum se appellavit«. — Eckhel ad a. 213.

[1]) Exc. Dionis i. Script. vett. nov. collectio ab Ang. Majo t. II, p. 230: ὅτι Ἀντωνῖνος κατὰ Ἀλαμαννῶν ἐξορμήσας χρήμασι τὴν δοκοῦσαν νίκην ἐπρίατο.

[2]) cf. annot. VIII.

[3]) Etsi Herod. (IV, 7) haec de Germanis Danubii accolis commemorat, tamen de Alemannis quoque eodem jure existimari possunt, praesertim quum Dio (77, 14) de Alemannis in imperio versantibus loquatur, qui certo milites fuerunt, quia traditum est, Alemannos nulli alii rei, nisi militari studuisse.

[4]) Herod. IV, 7: ᾠκειώσατο δὲ καὶ πάντας τοὺς ἐπέκαινα Γερμανούς, ἔς τε φιλίαν ὑπηγάγετο ὡς καὶ συμμάχους παρ᾽ αὐτῶν λαβεῖν καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι, γενναίους τε καὶ ὡραίους ἐπιλεξάμενος.

[5]) Mone (Urgesch. d. Bad. Land. II, p. 276) imperatorem haec castella prope civitatem Aureliam Aquensem exstruxisse putat, quod falsum esse perspicuum est, quum e Dione eluceat, haec in hostium agris trans limitem esse aedificata.

[6]) Dio 77, 13.

[7]) Spart. i. Carac. V: circa Rhaetiam non paucos barbaros interemit.

[8]) cf. annot. IX.

perturbato, afferunt, quare vix fieri potest, ut res in Germania postea ab imperare gestas suppleamus. Xiphilinus, qui Dionis excerpsit libros, omnia tradidit, quae hac de re habemus [1]. Commemorat, post bellum illud Alemannicum aliud esse ortum cum Cennis, Celtica gente, qui tanta feritate pugnarunt, ut sagittas missas a sagittariis Osrhoënis, quos imperator secum duxerat, dentibus extraherent e vulneribus, ne in caede hostium essent impediti; denique imperatorem, pace empta, ut in Germaniam confugeret, impetrasse [2]. Tradit praeterea, mulieres nonnullas captas, quum ab Antonino, ex iis quaereretur, quid praeferrent, mortem an servitutem, se mori maluisse, atque quum praeter opinionem venderentur, quasdam primum infantes, tum omnes se ipsas interfecisse [3].

Haec Cennorum gens, quam hoc solo loco commemoratam invenimus, Celtica fuit. Sedes eorum fuerunt in regionibus Onoldinis et Colebachinis circiter inter fluvios Tuberum, Regnesum, Rednesum, Pegnesum et Rezatum; duravitque usque ad nostram aetatem Cennorum nomen »Zenn« rivo — qui in Regnesum amnem illabitur — et vicis prope eum sitis hodie nominatis »Oberzenn« et »Langenzenn« [4].

Inter Cennos et Romanos hoc modo bellum esse ortum, proxime ad verum accedit. Antoninus victoriis sublatus Chattorum agros perlustravit, qui, si Marsingos ejusdem gentis fuisse putamus, paene usque ad Moeni superioris ripam septentrionalem pertinebant et a meridie, ut supra commemoravi, gentes Celticas attingebant, in quas omnes Hermundurorum fines projecti erant. Tum concludi possunt haec: Chattorum turbas nonnullas flumine transmisso in Celtarum fines confugisse et imperatorem hos consecutum [5] ac Moenum trans-

---

[1]) Dio 77, 14: ἐπολέμησε δὲ καὶ πρός τινας Κέννους, Κελτικὸν ἔθνος.

[2]) id. ibid: συνεχώρησαν αὐτῷ ἐς τὴν Γερμανίαν ἀποσωθῆναι.

[3]) cf. annot. X.

[4]) Vetustissima esse haec loca ex eo apparet, quod jam temporibus imperatoris Ottonis I. affertur »Langenzenn« quo in vico Conradus Rufus dux a. 954 in imperatoris fidem rediit.

[5]) de Wersebe p. 227 et 228 not. 288, putat Alemannos inter Moenum et Nicrum irruptionem fecisse et Cennos limite perrupto illis auxilio venisse; prope Tuberum amnem imperatorem intra fines

gressum Celtas in hostium numero habuisse, exercitum autem, quum ingentia atque invia pineta [1]) totius belli rationem commutarent ac proelium non permitterent, Celtae autem pro aris et focis [2]) dimicarent, commeatus propter avia difficillime praeparari posset, imperator denique morbo implicitus rei gerendae non praeesset, in summum discrimen esse adductum atque Antoninum alteram cladem Varianam veritum magna pecunia, cujus Celtae aeque atque Germani avidi erant, periculo esse ereptum. Itaque Cenni ab armis recesserunt et imperatorem, quasi superior discessisset, praeda onustum in Germaniam [3]), scilicet in agros decumates, a quibus non procul aberat, redire permiserunt, mense Majo [4]) a. 213 [5]). — Continuo imperator de victoriis ac laudibus suis ad senatum detulit [6]), qui ei cognomen Germanici indidit et multis nummis adhuc servatis victorias de Germanorum gentibus reportatas celebravit [7]).

Cennorum bello confecto Antoninus Caracallus neque gloriam

Romanos ab illis esse circumventum. Quod quidem, quum mulieres et infantes adfuisse tradantur, parum idoneum est. Nulla enim gens mulieres secum ducet, quum praedandi caussa in hostium fines irrumpit.

[1]) Initio quoque undecimi saeculi »Giesebrecht« in opere praestantissimo »Deutsche Kais.« t. II, ubi loquitur de Henrico II., idem de his regionibus tradit. Quo auctore terra arenosa et pinetis densis consita aegre gentem raram linguae Slavicae aluit, a qua Regnesus, Rednesus, Pegnesus rivi nomina traxerunt.

[2]) Rommel (I, p. 2 not.) Cennos cum Chattis conjunctos cum Antonino ad Moenum inferiorem in comitatu superiore »Katzenellenbogen« circa regionem, ubi sita sunt »Obernburg und Wahlstatt« manus conseruisse opinatur; quae quidem, quum causas graviores non afferat, neque afferre possit, minime pro vero habenda sunt.

[3]) Huschberg, p. 81 errat, si illam Germaniam fuisse ratus provinciam Romanam Germaniam superiorem ab imperatore Rhenum trajectum esse putat.

[4]) Tempus ex illa arae inscriptione (p. 10, not. 7) elucet.

[5]) cf. annot. XI.

[6]) In fontibus hoc non invenitur; attamen e multis nummis et inscriptionibus conjici potest, et pro natura imperatoris Antonini plane verisimile est.

[7]) Eckhel i. numm. ad a. 213, in quibus »Venus victrix« et »Victor Germanicus« legitur; deinde in inscriptione Meimshemiensi (Stälin I, p. 44, n. 126 et Steiner I, p. 4 et 5):

neque auctoritatem adeptus in Romanorum fines aegrotus revertit. Intemperantia enim libidinum, quibus effuse atque effrenate deditus fuerat, in morbum inciderat, qui e vita dura atque insueta, quam bellum asperis in terris gestum affert, et quum in victu cultuque parum curae adhibere posset, ita auctus est[1]), ut aliquamdiu nihil agere et moliri posset.

Exercitu post munitiones relicto in civitatem Aureliam Aquensem se contulit, quae quidem Caesarem cum[2]) et inscriptionibus celebraverat[3]) et propter aquas salubres jam tunc erat celeberrima. Quamvis ibi templa deorum saepisse adiret[4]) et inprimis Apollinem Grannum[5]), Gallorum Aesculapium invocaret atque continenter in

Imp. Caes. M. A . . . .
Pio Fel . . . .
Germ. Pon Maxim .
Et Juliae Aug. Matri
Castrorum
Ob Victoriam
Germanicam.

[1]) Morbus idcirco quoque auctus est, quod eadem vitae ratione ac miles gregarius utebatur (Herod. IV, 7, Dio 77, 13. — Spart. i. Car. V. — Dio 77, 15).

[2]) Stälin I, p. 34 n. 12 et Steiner II, p. 6 n. 850. Stälin ibidem monumenta nonnulla enumerat ab Anton. exstructa, e quibus apparet, imperatorem hoc loco diutius esse moratum. Si inscriptioni in fundamento balnearii Romani hujus oppidi inventae fides habenda est, hoc tum imperator exstrui jussit.

[3]) Tanta fuit incolarum hujus oppidi erga eum pietas, ut nomen civitatis »Aquensis« cum nomine civitatis »Aureliae Aquensis« commutarit.

[4]) Dio 77, 15: ἐκείνῳ δὲ οὐδεὶς οὐδὲ τῶν θεῶν οὐδὲν οὔτε ἐς τὴν τοῦ σώματος, οὔτε ἐς τὴν τῆς ψυχῆς ἴασιν φέρον, καίτοι πάντας τοὺς ἐπιφανεστάτους θεραπεύσαντι, ἔχρησεν. ἀφ' οὗπερ ἐναργέστατα διεδείχθη, ὅτι μήτε τοῖς ἀναθήμασι μήτε ταῖς θυσίαις ἀλλὰ τοῖς βουλήμασι καὶ ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ προςεῖχον. οὔτε γὰρ ὁ Ἀπόλλων ὁ Γράννος οὐθ' ὁ Ἀσκληπιὸς οὐθ' ὁ Σάραπις καίπερ πολλὰ μὲν ἱκετεύσαντι αὐτῷ πολλὰ δὲ καὶ προςκαρτερήσαντι ὠφέλησεν . . . . κ. τ. λ. Eadem demonstrant permulti nummi apud Eckhel VII, p. 212 ad annos: 214 et 215.

[5]) Permultas inscriptiones ad hunc deum pertinentes affert Steiner (nn. 2554, 2558, 2559, 2564, 2565, 2566, 2701) in utraque Rheni superioris et Danubii superioris ripa in Austriam usque inventas, inprimis in aris huic deo consecratis, a quo vicus Granheim (i. Saul-

deorum templa dona mitteret, quos veram sanitatem reddituros esse existimabat, tamen non plane e morbo convaluit, sed vires ita tantum recreavit, ut ipse cum legatis a Germanorum gentibus missis agere posset. Pecunias largiendo quum effunderet atque imprimis Germanorum militibus moribus, vestitui indulgeret[1]), hi divitiarum Romanarum vi atque copia, armorum gloria ac splendore ducti, sponte apud Romanos militiam sumebant. Postea quum liberalitatis ac largitionum fama per Germanorum pagos perlata esset, gentes vitio imperatoris abusae e partibus longe remotis — si verum affertur ab Albis ore[2]) et maris Teutonici litoribus — legatos miserunt, qui, nisi imperator pecunias postulatas concessisset, bellum denuntiarent. Qua quidem re perspicuum est, quantopere Antoninus bellis cum Germanis gestis nominis Romani dignitatem et armorum terrorem comminuerit. Dione auctore legatorum postulata concessit; quibus rebus adductus sit, non latet. Nam quum e bellis cum Germanis gestis observatione diuturna cognitum haberet, Germanos hostes metuendos, amicos magni aestimandos esse, animus ejus a bello gerendo abhorrebat. Attamen propter ignaviam[3]) insitam et gloriae cupiditatem victoriis de illis sine ulla opera deportatis nitere voluit.

Interea auctumnus a. 213 appropinquabat, quo tempore Antoninus recreatus, ut iter viis lapidibus stratis tolerare posset, circiter

gau, Wirtemb.), ubi maxima Granni aedes erat, nomen traxit: sicut ab eo nominata est Juniperus, Celtice »Chranapoum« et avis, quam nos »dicimus Kranwitsvogel«, celt. »Kranawitu« (auctore Holtzmann: Kelten und Germanen, p. 83) cf. Eckhard: »de Apolline Granno et Mogouno.«

[1]) Herod. IV, 7.

[2]) Dio 77, 14. Ὅτι πολλοὶ καὶ τῶν παρ' αὐτῷ τῷ ὠκεανῷ περὶ τὰς τοῦ Ἄλβιδος ἐκβολὰς οἰκούντων ἐπρεσβεύσαντο πρὸς αὐτὸν φιλίαν αἰτοῦντες, ἵνα χρήματα λάβωσιν. ἐπειδὴ γὰρ οὕτως ἐπεπράχει, συχνοὶ αὐτῷ ἐπέθεντο πολεμήσειν ἀπειλοῦντες, οἷς πᾶσι συνέθετο. καὶ γὰρ εἰ παρὰ γνώμην αὐτοῖς ἐλέγετο, ἀλλ' ὁρῶντες τοὺς χρυσοῦς ἐδουλοῦντο. Unde apparet, gentes illas Chaucos fuisse ab Albis ore praeter maris Teutonici litus usque ad Visurgim habitantes (cf. Zeuss s. v. Chauci).

[3]) Dio 77, 6 et 78, 3: θρασύτατος μὲν γὰρ ἀπειλῆσαι, καὶ προπετέστατος τολμῆσαι, δειλότατος δὲ διακινδυνεῦσαί πη καὶ ἀσθενέστατος πονῆσαι ἦν.

initio Septembris a Germania castra movit, rediitque in Italiam, ut de Celtis et Germanis triumpharet [1]). Mense Novembri aut Decembri haud multo anno post quam Romam reliquit, cum exercitu sublato victoriis de hostibus reportatis, quorum alios semel tantum in fugam conjecerat, alios fraude superaverat, ab aliis circumventus et paene erat exstinctus, urbem ingressus triumphum egit, ad memoriam sui celebrandam nummos excudi jussit — qui imperatorem in lentis quadrigis praeferunt, sinistra tenentem sceptrum, in cujus acumine aquila victrix alis expansis cernitur, dextra laurum, pone Victoria eum coronans [2]) — largitione frumentaria plebis gratiam sibi conciliare studuit, atque illam vestem a Germanis mutuatam, qua saepe ibi erat usus [3]) Romam introduxit [4]). Hac veste Germanica — quae falso adhuc Celtica habita est et propter quam per ludibrium »Caracallus« est appellatus, quod cognomen apte »Deutschmäntler« verti potest — quum omnes, qui salutandi causa venirent, indutos esse jussisset, atque haec vistitui militari esset, nomine vestium Antoninianarum in usum venit, ita ut initio quarti saeculi Spartiano arbitro a maxima Romanae plebis parte hanc receptam esse inveniamus.

---

[1]) cf. annot. XII.

[2]) Eckhel VII, ad a. 213. — Clinton ad eund. a.

[3]) Herod. IV, 7 cf. annot. XIII.

[4]) Dio 78, 3. Vict. Epit. XXI. — Spart. i. Car. IX. — id. i. Sever. XXI. — Hieron. ad Euseb. ad a. 215: Antoninus Caracalla cognominatus propter genus vestis, quod Romae erogaverat. — Iisdem verbis utitur Cassiodorus i. Chron. ad a. 214. — Explicat Div. Hieron., Caracallae illius formam hisce verbis: Erant palliola cum cucullis, qualia monachi et ἀσκηταὶ gerebant. Quare Salmasius opinatur, caracallam a Clericis postea gestam esse; et verisimile est, eandem, forma aliquantum mutata, restare apud monachorum ordines quosdam.

Antoninus iterum in Germaniam proficiscitur vere a. 214; prope Danubium moratur mense Majo; bella cum Marcomannis, Jazygibus, Dancrigis, Gothis gerit parvula; Hellesponto trajecto, exercitum Nicomediam in hiberna deducit ineunte hieme a. 214; usque ad initium Aprilis [1]) a. 215 ibi moratur.

Quamdiu Caracallus anno 214 Romae moratus sit et quomodo reipublicae praefuerit, rerum scriptores nihil tradunt. Tamen variis e causis conjici potest, imperatorem urbem, cujus voluptates a puero perceptae fastidium et satietatem attulerant, reliquisse, ubi coelum copias ex urbe educi permisit. Nam quum pro natura atque indole sua ad res gerendas stimularetur, quod Alexandrum Magnum imitandum sibi proposuerat [2]), atque quum semel corona laurea deportata gloriae dulcedine perfructus esset, ejus animus novorum triumphorum erat cupidissimus. Initio igitur mensis Martii a. 214 copiis ex urbe eductis, itinere in regiones septentrionales converso iterum in Germaniam profectus est, non quidem in Alemannos et Chattos, sed in eorum finitimos orientales prope Danubii ripam [3]) septentrionalem. Ad hoc flumen, quod a septentrionibus Romanorum fines attingebat, mense Majo pervenisse videtur. Paribus intervallis usque ad Pontem Euxinum inter se distabant Danubius et magna via

---

[1]) Dio 77, 19.

[2]) Dio 77, 78, 9, 22. — Herod. IV, 8 et 9. — Spart. i. Carac. II. — Vict. Epit. XXI: »Hic corpore Alexandri Macedonis conspecto, Magnum atque Alexandrum se jussit appellari, adsentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi« — id quod hodie statua Romae in Vaticano servata confirmatur.

[3]) Herod, IV, 7: ἀπάρας δὲ τῆς Ἰταλίας ἐπὶ ταῖς ὄχθαις τοῦ Ἴστρου γενόμενος διῴκει δὴ τὰ ἀρκτῷα τῆς ἀρχῆς μέρη — quae ad hoc solum tempus referenda sunt.

militaris[1]). Antoninus hac usus via alibi atque alibi moratus est, sive ut oppidis, castellis, copiis, quae praeter fluvium stativa habebant, cogitationes animumque intenderet, sive ut cum Germanicarum gentium principibus, quae trans Danubium incolerent, societatem coiret[2]), qua praetorianos milites per Germanos augere posset[3]). Primum egit cum Marcomannis, quos cum Juthungis permixtos usque ad Danubium et ad Mari regiones pertinuisse, tabula Peutingerana indicat. Ex inscriptione ad hoc tempus servata, Albengae[4]) in agro Nizzensi inventa, concludi potest, inter imperatorem, Danubio trajecto, et Marcomannos hostilia esse orta, quibus compositis Antoninus cognomen Marcomannici sibi indidit. In hoc bello movendo easdem, quas antea in Germania, partes egit. Quomodo enim illic Chattorum gentem in Alemannos incitaverat, sic hic Vandalos in Marcomannos armavit[5]). Vandali a meridie Marcomannorum fines attingebant, habitabant in utroque montium Sudetorum latere, inprimis in Lusatia, in Silesia inferiore, in comitatu Glatzensi et in saltibus Bohemicis circa Albis fontes[6]). Ex Marcomannorum bello, quo tempore pars colonia in imperium Romanum deducta est[7]), inter Vandalos et Romanos amicitia erat, ita ut imperator Commodus hac conditione cum Quadis faceret pacem, ne Vandalis neve Jazygibus bellum inferrent[8]). Non mirum videri potest, Romanos contra praepotentes Germanos Danubii accolas cum gentibus a tergo illorum habitantibus se conjunxisse, quae opibus, multitudine, virtute illis pares essent, quum se de capite cum Germanis esse dimicaturos satis intelligerent. Quare omnibus viribus enitebantur, ut hae gentes dissiderent. Antoninus quoque, quum e bellis antea prope limitem gestis, quanta excitatis discordia ac seditione effecisset, cognitum habe-

---

[1]) Itiner. Anton. tab. conferenda.
[2]) Herod. IV, 7. — Dio 78, 6.
[3]) Herod. IV, 7.
[4]) Muratori 1021, 7.
[5]) Dio 77, 20: ἐμεγαλοφρονεῖτο δὲ τῷ τοὺς Βανδίλους καὶ τοὺς Μαρκομάνους συγκεκρουκέναι φίλους ὄντας ἀλλήλοις.
[6]) Dio 55, 1: ὁ Ἄλβιος ῥεῖ δὲ ἐκτῶν Βανδαλικῶν ὀρῶν.
[7]) Dio 71, 12. — Erant enim Astingi.
[8]) Dio 72, 2 . . . πρὸς δὲ καὶ ἵνα μήτε τοῖς Ἰάζυξι μήτε τοῖς Βούρροις, μήτε τοῖς Βανδήλοις πολεμῶσιν.

ret, his artibus iterum usus est. Quamvis enim Vandali, ex quo tempore arma contra Romanos sociaverant, cum Marcomannis conjuncti essent, tamen certe largitionibus Antoninus Vandalos, ut Marcomannos aggrederentur, permovit, atque dum hi in hostes obvertebantur, imperator, Danubio transmisso, eorum (i. e. Marcomannorum) terga impugnavit. Scriptores quum nihil afferant, hoc bellum breve atque exiguum fuisse putandum est, praesertim quum Antoninus id solum spectaret, ut hostes fraude et malitia deciperet deceptosque superaret, simulatque autem hostes eum aggressi sunt[1]) terga verteret; quare recte opinamur, pacem eum fecisse, simulac rerum status id permiserit, atque ut antea apud Moenum, juventutem Marcomannicam auro ad legiones suas allexisse[2]). E. Marcomannorum finibus egressus, Vindobonae aut Carnuti diutius moratus videtur, fortasse ut tirones illos Germanicos perpetuis exercitiis ad disciplinae Romanae formam redigeret. Hic quoque cum Germanorum incommodo rebus eorum se immiscuit atque inprimis ad Quados animum intendit, qui Marcomannorum finitimi praeter Danubii ripam septentrionalem inter Marum et Cusum habitabant[3]). Hi Quadi alii putandi sunt, quam liberi, qui Moraviam superiorem, Silesiae par-

---

[1]) Dio 77, 20: ὅτι ὁ Ἀντωνῖνος ἑαυτὸν διέβαλε φάσκων, οτι τῶν Κελτῶν (i. e. Germanorum) θρασύτητα καὶ τὴν ἀπληστίαν, τὴν δὲ ἀπιστίαν ἀνάλωστον οὖσαν βίᾳ ἀπατήσας εἰλήφει. quae in Chattos quoque referenda sunt eodem auctore: 77, 13.
[2]) Herod. IV, 7: Ὠικειώσατο δὲ καὶ πάντας τοὺς ἐπέκεινα (trans Danubium) Γερμανούς . . . . ὡς καὶ συμμάχους παρ' αὐτῶν λαβεῖν, καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι, γενναίους τε καὶ ὡραίους ἐπιλεξάμενος. cf. Herod. V, 4: ὑπὲρ τοῦ Μακρίνου οἱ σωματοφύλακες καὶ δορυφόροι (οὓς δὴ Πραιτωριανοὺς καλοῦσιν) οἳ γενναίως ἀνθεστήκεσαν παντὶ τῷ ἄλλῳ στρατῷ, ἅτε ὄντες μέγιστοί τε καὶ ἐπίλεκτοι. — Dio 78, 6: καὶ γὰρ Σκύθας (Germanos Danubii inferioris, qui sic nominantur ab omnibus historicis Graecis) καὶ Κελτοὺς οὐ μόνον ἐλευθέρους καὶ δούλους καὶ . . . . ὡπλίκει καὶ περὶ αὑτὸν (Antoninus Carac.) εἶχεν, ὡς καὶ μᾶλλον αὐτοῖς ἢ τοῖς στρατιώταις θαρσῶντα, τε γὰρ ἄλλα καὶ ἑκατονταρχίαις σφᾶς ἐτίμα λέοντάς τε ἐκάλει. — Quibus e locis perspicuum est, magnam partem militum Romanorum, inprimis cohortium Praetorianarum et protectorum jam tum e Germanis constitisse.
[3]) Zeuss s. v. »Quadi.«

tem meridionalem, Galliciam occidentalem incolebant. Liberi autem Quadi a meridie attingebant eos Quados, qui in formam provinciae redacti et a Tiberio a. 19 e Marobodui et Catualdae comitatibus Suevicis maximam in partem compositi, plane ex imperatore Romanorum pendebant[1]). Idcirco elucet, Quados, quos Dio commemorat[2]), hos fuisse, et Gaiobomarum horum regem apud Antoninum, quum hic Danubio interjecto praeter Quadorum fines proficisceretur, esse accusatum, quem imperator optimo jure, finibus potestatis non transitis, interfici jubere poterat. Sed non solum rebus Quadorum Antoninus se immiscebat, sed etiam cum Jazygibus Sarmaticis, qui terram palustrem inter laevam Danubii ripam et inter Tibiscum usque ad ejus os incolebant, quique a regionibus sitis inter septentriones et occidentem Quados attingebant, ut transitum sibi darent, egisse videtur. Atque quamvis haec gens, ut supra memoravi, cum Romanis amicitia conjuncta fuerit, tamen imperatori non obsecuta est. Opinari possumus hujus permagni interfuisse, ut quam celerrime in Daciam provinciam perveniret, cujus fines septentrionales a gentibus certe Sarmaticis vel Thraciis, quae antea sub imperio Decebali erant[3]), sollicitabantur, aut a Gothorum catervis, qui tum primum existunt[4]). Imperatori, finibus imperii non relictis, secundum Danubii dextram ripam per Arrabonam, Bregetionem, Acinquum, Mursam, Sirmium Taurunum, Singidunum ad Viminatium usque in Moesia situm proficisci ac, flumine trajecto, Daciam ingresso in septentriones flectenti ad provinciam defendendam iter continuare licebat. Attamen haec

---

[1]) Tacit. ann. II, 63: barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danuvium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

[2]) Dio 77, 20: ὅτι καὶ τὸν τῶν Κουάδων βασιλέα, Γαϊοβόμαρον κατηγορηθέντα ἀπεκτόνει.

[3]) Dio 78, 27. Dancrigos eos nominat.

[4]) Commemorant quidem Codd. Leydens. ad Eutropium Gothas jam Domitiano imperatore (cf. Tzschucke ad Eutrop. VII, 23, p. 523 not. 14), tamen legendum esse pro Gothis: Chattos, e rerum statu perspicuum est. Dione (75, 3) auctore jam sub Severo bellum cum Gothis in finibus Daciae instabat; etsi Dio hos Scythas vocat, tamen Germanicae et Sarmaticae gentes Russiae meridionalis intelligendae sunt, quarum gentium Gothi imprimis valebant.

via angulum formans acutum longum circuitum praebet. Jazygum autem sedes cuneatae et Danubio et Tibisco coercitae rectum permiserunt transitum in Daciam a ripa Tibisci orientali incipientem. Quamvis Antoninus a Sarmatis a transitu prohiberetur, tamen exercitum per eorum sedes perduxit, atque quum regiones Jazygiae septentrionales ingentibus paludibus repletae essent, circiter Acinquum usque profectus Danubium transmisit et in orientem versus in Daciam iter intendit. Jazyges autem agiles ac veloces et equitatu praestantissimi exercitum circumvolitabant, hic atque illic aggredientes et milites interdiu noctuque lacessentes; quum autem ad proelium ventum est, Sarmatae superati esse videntur, ita ut Antoninus cognomen Sarmatici maximi se sibi indere posse optimo jure existimaret[1]). Si nummus, in quo eques hastam torquens in barbarum fingitur[2]), ad hoc bellum referendus est, levioribus nonnullis proeliis adfuit, quorum, quum agmen primum ducere soleret et Sarmatarum alae velociter et necopinato impetum facerent, facile occasio oblata est. Quae in Dacia effecerit, ubi diutius resedit[3]), scriptores nihil certi tradunt, quum Dionis locus[4]), quo de hac re sine dubio disseruit, confusus et mutilus sit, et Herodianus[5]) imperatorem in provinciis prope Danubium sitis tempus degisse, summatim tradat. Spartianus solus[6]) obiter commemorat, Gothos proeliis tumultuariis esse victos. Quum neque Jornandes, vel potius doctissimus Cassiodorus, in historia de Gothorum rebus perscripta, nec Zosimus, locupletissimus his de rebus auctor, tradat, Antoninum bellum cum Gothis gessisse, pro certo habendum est, hoc utique exiguum fuisse et parvulis tantum proeliis esse contentum[7]). Quod bellum Gothicum a Spartiano diserte commemoratum non prorsus negari potest, praesertim quum constet, Gothos post bellum Marcomannicum ad Daciae fines se promovisse. Ad hoc bellum referendus mihi videtur nummus ille,

---

[1]) Quod cognomen apud Spartianum solum (i. Geta VI) invenitur; inscriptiones et nummi tacent.

[2]) Eckhel VII ad a. 214.

[3]) Spart. i. Carac. V.

[4]) Dio 77, 16.

[5]) Herod. IV, 7.

[6]) Spart. i. Car. X.

[7]) cf. annot. XIV.

cui »Imp. III« et »Victoria« manu tropaeum tenens, insculpta sunt[1]. Cum Gothis foedere conjuncti, aut ab iis pressi sine dubio Dancrigi fuerunt, gens Thracia vel Sarmatica, qui proximi Daciae fines cum illis provinciam aggressi sunt[2]. Rebus improspere gestis, ut pacem facerent et obsides darent, coacti sunt[3]. Dancrigos autem hoc bello neque esse debilitatos, neque omnino metuisse Romanorum arma, tribus annis post, auctumno 217, paullo post Antonini necem apparuit, quum agros populantes in Daciam irruptionem facerent[4], stimulati et adjuti fortasse a Gothorum gentibus, magis magisque ad meridiem prorumpentibus.

Pace prope fines obiter restituta[5] Antoninus, quod ante hiemem Nicomediam adipisci voluit, et auctumnus jam instabat, quam celerrime Danubium transmisit[6].

A Viminatio via per Naissum, Serdicam in Moesia sitas ac per Haemum in Thraciam ferebat[7]. Hac via per Philippopolim, Subzuparam usque ad Hadrianopolim profectus e Laconia juventutem arcessivit, e qua, sicut antea phalanga Macedonicam[8], sic tum Pitanaticam et Laconicam composuit[9], ad quam exercendam Nicomediae ab a. 214 usque ad a. 215 hiemans[10] multam operam consumpsit. Ab Hadrianopoli[11] per Plotinopolim, Trajanopolim, Apros usque ad Callipolim iter fecit, unde exercitum in Asiam trajecit. Violenta tempestate imperator Hellespontum transgrediens paene naufragio

1) Eckhel VII ad a. 214 nummum ad bellum Sarmaticum refert et in dubio relinquit, utrum legatus, an imperator superior de iis discesserit; quae supra statuimus, eodem jure contendi possunt.
2) Dio 72, 2.
3) id. 78, 27.
4) cf. annot. 15.
5) Dio 77, 16: ὅτι Θρᾴκην ἀφίκετο ὁ Ἀντωνῖνος μηδὲν ἔτι τῆς Δακίας φροντίσας.
6) Tillemont. III, I p. 212 putat, barbaras quasdam gentes imperatorem aggressas esse, quum repentino e Dacia excederet. Quod e fontibus supra allatis parum idoneum est.
7) Itiner. Anton. tab.
8) Herod. IV, 8.
9) cf. annot. XVI.
10) Dio 77, 18.
11) Itiner. Anton. tab.

periit[1]. Procella classem dissipavit, diruit armamenta navis praetoriae, antenna fracta imperator ipse in summum periculum est adductus, ita ut cum protectoribus nonnullis scapham ascenderet necesse esset, in qua jactabatur, donec praefectus classis triremi eum excepit[2]. Classe ad Lampsacum appulsa, Pergamum profectus est[3], ut ad sanitatem recuperandam in celeberrimo Aesculapii templo ejus numen invocaret. Rediens Ilii ruinas adiit, tumulos heroum caesorum sertis coronavit, Achillem, ut antea in Macedonia Alexandrum[4], egit, et quum Patroclum invenisset, funus ejus exsequiis celebravit. His ineptiis perfectis, fine anni copias Nicomediam in hiberna deduxit.

Ex iis, quae rara, confusa et saepissime mutila scriptores aliique fontes tradiderunt, res ab Antonino Caracallo in Germania et Sarmatia gestas componere et, quoad fieri potuit, supplere conatus sum ad hoc temporis, quo imperator ex occidente egressus in orientem profectus est. In duas inprimis res animum cogitationesque intendi, quae praecipue summa consideratione dignae mihi visae sunt: primum ut temporum ordinem perturbatum restituerem, deinde ut explanarem, quomodo imperator cum Germanorum et Sarmatarum, gentibus prope fines imperii septentrionales conjunctus fuisset. Quare imperatoris naturam et mores, temporum rationes et ingenium extremis lineis descripsi, quod pro tanta rerum copia paucis absolverem necesse erat reliqua, quae copiosius et uberius describere et explicare postea, mihi proposui.

1) Dio 77, 16. — Spart. i. Carac. V.
2) Spart. i. Carac. V.
3) Herod. IV, 8. — Numm. ad a. 214. — Dio 77, 16.
4) Herod. IV, 8.

ANNOTATIONES.

I. Plerique scriptores secundum nummos et inscriptos lapides, qui ex anno 213 demum in regionibus Rheni superioris et Moeni inferioris inventi sunt, Antoninum a. 213 Roma profectum statuunt, quod falsum esse facile poterit comprobari. Neque magis valet sententia leviter tantum exposita Eckhelii, quem secutus est de Wietersheim in libro, qui inscribitur: »Geschichte der Völkerwanderung,« II. p. 176. Dubitant enim hi viri doctissimi, utrum exeunte anno 212, an ineunte 213 ille ex urbe egressus sit. Quorum anni temporum neutrum propter iniquam tempestatem importunitatemque locorum statui potest. Solus Wenck in: »Hessische Landesgeschichte« jam aestate anni 212 imperatorem Rheni ripas vidisse statuit, nulla tamen ratione apposita. Sed jam aestate anni 212 exercitum Roma profectum necesse est propter posteriorum temporum ordinem, quia imperator, si anno 213 demum profectus erat, non ante mensem Junium anni ejusdem ad Rhenum pervenire poterat, quum viae per Alpes, usque ad id tempus nive obrutae, ab exercitu minime superari possent; tum vero temporis inde ad auctumnum anni 214, quo tempore jam Nicomediae versabatur, spatium profecto non tantum est, quanto ad tot tamque diuturna imperatoris incepta fuit opus. Jam vero etsi ex anno 212 inscriptio nulla reperitur, tamen bene animadvertenda est illa, Kal. Jan. a. 213 facta, quae exstat in campo, quem vocant »Heidenfeld« inter »Heddernheim« et »Praumheim« prope Moenofrancofurtum sito, et ex qua necesse est imperatorem in his regionibus praesentem animo nobis fingamus: (Orelli n. 929. Stälin Wirtemb. Gesch. Wenck Hessische Landesgesch. I. p. 16 not X. Steiner cod. inscriptt. Rheni et Danubii I. p. 304 n. 633.)

> In. H. D. D. Genio. Sancto M. Aurel. Cl. Pompejanus. Mil. Leg. VIII. Antoninianae Aug. B. F. Cos. K. Januar. Imp. D. N. Antonino IV et Balbino II. cos. (p. Chr. n. 213).

Miles legionis VIII., quam jam inde a Commodi temporibus ad vallum castra habuisse ex multis inscriptionibus a Wenckio et Steinero allatis constat (Steiner I. p. 310. n. 639), eam insculpsit ad celebrandum Caracallum, cujus erat beneficiarius, (i. e. imperator eum a variis liberaverat laboribus, qui militibus gregariis subeundi erant, ut a viarum munitione, ab aquatione et, ut videtur, ab excubiis cet. cf. Pauly Realencyklopädie s. v. Beneficiarius). Quamquam porro habemus nummum anni 213, in quo imperatoris profectio exstat, (Eckhel VII., 209: Imperator proficiscens, dextra hastam, a tergo duo signa.) circumscriptumque est: »Prof. Aug.,« tamen etiam hoc monumentum, quod videtur gravissimum, duplici explicationi locum praebet. Etiamsi de ejus veritate non dubitamus (est enim ex quattuor nummis variis liberalitatem VIII. imperatoriam continentibus, Clinton ad ann. 212 et 213), vox illa circumscripta: »Profectio« non magis de profectione ex Roma, quam de quavis alia anno 213 facta intelligi potest; certe nimis coactum foret, aliam explicationem quamlibet prorsus rejicere. — Clinton ad ann. 213 ad eam inclinat sententiam, fuisse Antoninum etiam ineunte mense Augusto a. 213 Romae, fretus ille quidem multitudine insolita legum promulgatarum extremis Julii et primis Augusti ejus anni diebus, quarum multae Romae se datas esse prae se ferunt. Sed omnia haec imperatoris edicta, quamvis illis temporis et loci indiciis instructa, plane nihil probant, quia leges, quibus insignitum est tempus et Roma locus, ab Antonino Caracallo latae ex unoquoque imperii ejus anno reperiuntur, qua de causa necesse esset, eum ex urbe non nisi brevissima per tempora evasisse (Cod. Justin. Lugduni 1546. ad ann. 214: Messala et Sabino coss. Non. Febr. Romae. — ad a. 215: Laeto II. et Cereali coss. VI. Cal. Jul. Romae (p. 287). — p. 637; VI. Id. Jul. Romae. — p. 775: VIII. Cal. Maj. Romae. — p. 1058: Cal. Jul. Romae. — ad a. 216; Sabino II. et Anullino coss. p. 184: VI. Id. Mart. Romae. — p. 775: VIII. Id. Mart. Romae. — p. 1034: Cal. Oct. Romae.

— p. 1129: IV. Cal. Octobr. Romae); quod sane satis monet, ne talibus argumentis utamur vel confidamus.

II. Loco supra commemorato certo definitur saltem, quam partem versus Antoninus Roma sit profectus. Quo magis mirabimur de Wietersheim (t. II. p. 176), qui eum Roma Aequilejam et inde — secundum Herodianum IV., 7 — ad Danubium, et inde demum circum Alpes cunctas in Germaniam festinasse putat. Quamquam enim Herodianus aperte dicit, eum Italia relicta ad Istri ripas se contulisse, ut inde provincias ad septentrionem sitas regeret cet.; tamen quo est consilio scriptum Herodiani opus, e multitudine rerum gestarum, quae ei nullius momenti esse videbantur, gravissimas tantum et quasi capita eligentis, electas prout fieri potest, ad certam normam disponere studentis, eo nuntio re vera nihil probatur, nisi Antoninum ex Italia, quum alias, tum ad Istrum quondam pervenisse. Ubi is ante id tempus versatus sit, auctor operae pretium non putat narrare; quin de tota in Rheni et Moeni regionibus commoratione, de copiis per totam terram circumductis, de minusculis imperatoris bellis ne verbum quidem dicit, quam ob rem ejus testimonium omnino falsum putandum est. Nullis fontium locis fretus Rommel (Gesch. v. Hessen I., p. 2 not.) imperatorem victorem e Rhaetia et quidem ex parte meridionali, quam nos »Graubündten« vocamus, profectum gentes Germanicas et Celticas resistentes vicisse sibi fingit.

III. Distat Roma a Moguntiaco breviore illa per Alpes Penninas via secundum »Itinerarium« 852 mill. i. e. paullo plus 170 mill. German. Quum vero exercitus magnus inprimis in locis tam iniquis et difficillimis — quales viae per Alpes sunt — computatis diebus quieti datis et necessariis commorationibus, certe non amplius tria quotidie mill. German. progredi possit, toto itinere duo certe menses consumpti sunt; itaque recta nos supra statuisse sequitur; profectum esse exercitum necesse est mense Junio, Moguntiacum pervenisse Augusto vel Septembri, Alpes igitur aestate, fortasse Augusto superasse, utpote quae jam exeunte Septembri nive obruantur.

IV. Quum de hoc bello fontium pars omnino taceat, (Herodianus de eo ne verbum quidem dicit), pars nil nisi exitum et quasi caput, victoriam de Alemannis reportatam, commemoret, et quae Dio (77, 13) habet: ὅτι ὁ Ἀντωνῖνος ἐς τοὺς Ἀλαμαννοὺς στρατεύσας διέταττεν, εἴ πού τι χωρίον ἐπιτήδειον πρὸς ἐνοίκησιν εἶδε,

„ἐνταῦθα φρούριον τειχισθήτω.“ . . . ἐξ οὗ δὴ καταφρονήσας αὐτῶν οὐδ' ἐκείνων ἀπέσχετο, ἀλλ' οἷς συμμαχήσων ἀφῖχθαι ἔλεγε, τούτους τὰ τῶν πολεμιωτάτων ἔδρασεν, ea sic ut nobis tradita sunt, sensum non habeant et sibi ipsa repugnent, necesse est conjecturis saltem, quantum fieri potest, assequi studeamus, quomodo id bellum evaserit. Locus, si critice tentatur, mutilus apparet. Oportet enim in textu originali de duabus gentibus aliquid extitisse, quarum altera amica, altera infensa erat Antonino; atque elucet, hanc (posteriorem) fuisse Alemannos, quod planis verbis dictum est: στρατεύσας πρὸς τοὺς Ἀλαμβανούς. Quae autem illa fuerit gens, cui se auxilio venisse praedicabat, non est scriptum, sed contra hic nuntius, priori illi tam plane contrarius, et ipse ad Alemannos refertur, quibus bellum intulerat. Sed fieri non potest, quin haec altera gens sint Chatti, Alemannorum finitimi, quippe quos inde ab extrema in agrum Romanum irruptione (quam fecerant primis annis imperii M. Aurelii) Romanorum amicos fuisse constet, quum ne Marcomanici quidem belli participes fuerint (Capitol. i. M. Aurel. c. XXII).

V. Quamvis ex iis rebus, quas in textu proculi, nonnulla hypothetico tantum, ut ita dicam, fundamento nitantur, tamen hoc certe constat, Germanos tunc ultra limitem non processisse, neque in agrum Romanum irrupsisse, quod praeter me — ut equidem postea vidi — solus Huschberg, (in Gesch. d. Alemannen u. Franken p. 81) videtur putare, qui Antoninum victorem usque ad fines Rhaeticos hostium terram transiisse statuit. Quo magis mirandum est, si praeter numerum veteriorum scriptorum etiam de Wietersh. II. p. 212 sqq.) in illa sententia est, quae nullo fontium testimonio, neque scriptorum neque nummorum vel inscriptionum potest comprobari. Quin idem, quas res Germani occidentales cum Suevis consociati gesserint, enumerans, eos in duo agmina divisos in agros documates irrupisse totamque hanc provinciam a septentrione ad meridiem usque in Alpium regiones pervolitasse opinatur. Quanquam enim Antonini exercitus ex harum partibus meridionalibus et septentrionalibus eos rursus trans Nicrum rejecissent, tamen, quae Romanorum ultra hunc fluvium et limitem fuerint, deperdita esse; et sub castellis secundum Dionem (77,13) ab imperatore exstructis, intelligendum numerum castellorum ad Nicrum sitorum, quorum adhuc vestigia exstent. Quae unde hauserit de Wietersh., non affert. Neque enim

ullam imperatoris inscriptionem habemus, ex qua vel minimnm de his rebus eluceat, neque est ea sententia apud Staelinium vel alium quenquam recentioris aetatis scriptorum, qui de his regionibus ediderunt. Immo illud, Romanos jam tunc (a. 213) terram inter Nicrum et Moenum sitam perdidisse, falsum esse comprobatur eo, quod etiam a. 230 tres milites legionis XXII. Heddernhemii, quod nunc pertinet ad agrum Moenofrancofurtensem, »Genio plateae« monumentum posuerunt (Wenck t. I. § 2 p. 14 not. w. — Schmidt I., § 5 p. 25 et 26 not. i. — cf. Steiner, p. 304 et 633), unde apparet certe usque ad Alexandrum Severum Tauni regiones a septentrionali Moeni ripa sitas Romanorum fuisse; quae, quod post id tempus monumenta non amplius exstant, post Maximinum demum, fortasse sub Gallieno a Romanis perditae videntur; cf. Eumenos Paneg. Constant. X.: »sub principe Gallieno amissa Rhaetia,« quod testimonium tam dilucidum atque certum omnes, qui de ea re ediderunt, probant, ita ut jure mirari possimus, quod de Wietersheim potissimum sententiam tam plane fontium testimoniis repugnantem, neque ulla causa comprobatam attulerit.

VI. Locum ubi pugna fuerit, jam veteribus ignotum fuisse ex incerto Aurelii Victoris nuntio apparet. Concursum non ad ipsum Moenum fuisse intelligitur ex voce »prope«, pro qua: »apud« vel »ad« scribendum fuisset; et quum ager Chattorum (cf. de Spruner, Atlas antiquus) a parte meridionali Moenum non tetigerit pugnaque secundum belli illius naturam in dextra tantum ripa conseri potuerit, etiam magis est verisimile, eam in agro Chattorum esse commissam.

VII. Wenck enim (II. p. 103 nott. q. et v.) et de Wietersheim (II. p. 212 sqq.) quum contrarium ediderint: pugnasse Alemannos et Chattos et horum quidem aut exercitum ex universo populo constantem aut singulos comitatus contra Romanos, illius Dionis loci rationem non habent, verum ei etiam adversantur. Neque ullo fontium genuinorum et authenticorum loco Chattorum nominis in hoc bello fit mentio, quod non exstat nisi in excerptis Peyrescianis, quo a librario aliquo infimae aetatis illatum est, nempe pro Cennorum nomine novo illi atque inaudito interpolatum. Scripsit enim is pro vocibus: τούτων αἱ γυναῖκες ad Cennos pertinentibus, τῶν Χάττων αἱ γυναῖκες, quibus deinde Excerpta Vales. sine ulla causa addiderunt: καὶ τῶν ᾿Αλαμβανῶν, unde fortasse illa de Chattorum et Alemannorum foedere sententia est orta, freta illa quidem fundamento sane debilissimo, si quidem omnino est fundamentum.

VIII. Secutus illud Dionis fragmentum a Majo editum: „ὅτι ᾿Αντωνῖνος κ. τ. λ.“ Staelin (I. p. 117) in dubio relinquit quaestionem, num omnino de Alemannis victoria reportata fuerit, an potius Antoninus pacem auro redemerit, quae posterior sententia viro docto magis videtur placere. Sed quum Aur. Victor et qui Antonini vitam conscripserunt, quos Dionis libris usos non esse constat, apertis ac perspicuis verbis hanc victoriam renuntient, jure ea, quae Dio refert de ficticia victoria, putabimus, quod erat Dionis in Antoninum odium, obtrectationem ei ipsi bene cognitae rei gestae esse, qua imperatorem apud omnes Romanos, ut Germanorum victorem, clarum reddi necesse erat. Quod multis nummis eo anno ad illam victoriam celebrandam percusis et item inscriptione Meimshemi anno 1838 inventa (Stälin p. 44 n. 126 et Steiner I. p. 4 sq.):

Imp. Caes. M. A. . . . .
Pio Fel. . . . .
Germ. Pon. Maxim.
Et Juliae Aug. Matri
Castrorum
Ob Victoriam
Germanicam.

Dio aperte redarguitur, id testimonium memoratu dignum quanquam afferendum putavimus, tamen pro hujus fontium generis natura non ita magni facimus.

IX. Dio (77,13) harum caedium causam aliam quidem affert, attamen non tam diversam, quin cum illa supra prolata nexum quendam habere possit, praesertim quum e loco manifeste corrupto appareat, et ipsum Dionem illarum munitionum exstructionem inimicitiarum causam primariam ducere. Dum eae exstruuntur, satis illis datum erat occasionis morum imperatoris infirmorum debiliumque proxime pernoscendorum, qui sane tales non erant, qualibus verecundia illa, quam primo erga imperatoris majestatem fortasse habuerant, servaretur et firmaretur. Sic mox sentire poterant, quantopere ille multis in rebus histrionis partes ageret, praesertim quum sapientiam ac fortitudinem suam jactaret. Quumque ad hoc libidinum intemperantia ejus apud illos auctoritas non augeretur, mox aperte

eum vaniloquum (ἀπατεών), hominem stultum (εὐήθης) et pusillum (δειλότατος) appellabant itaque ejus animum sic quoque iracundum lacessebant. Simulans igitur, se eorum juventutem in legiones deligere velle, eos circumdari et dato signo trucidari, fugientes paucos equitatu emisso capi jussit.

X. Hic est solus locus certus, ubi gentis Celticae alicujus, Cennorum, omnino fit mentio. Etenim si VV. DD. etiam in nonnullis codicibus Flori (IV, 12: »Noricis animos dabant Alpes atque nives . . . . . . sed omnes illius cardinis populos Brennos, Senones atque Vindelicos« — ubi pro »Senones« legitur »Sennos« et »Scennos«) in gentibus Vindelicis a Druso et Tiberio annis 15—13 a. Chr. n. subjectis et apud Jornandem, Florum potissimum auctorem secutum, eos reperisse sibi visi sunt, tamen, quum corruptum »Scennos« nomen inveniatur ex quo nonnulli »Senones« eruerunt, quae lectio revera aliis in codicibus exstat, in incerto relinquitur, num recte sese habeat illa sententia. Atque etiam magis dubium est, num Ammiani »Camporum Caninorum« in Rhaetia ad Ticinum et lacum Verbanum sitorum commemoratio, quacum, si ad rem geographicam spectas, Gregorius Turonensis (Hist. X, 3) »castrum Bilitio situm in campis Caninis« afferens congruit, et Sidonii Apollinaris versus (i. carm. V):

»Perque Cani quondam dictos de nomine campos«

ad Cennos nostros pertineant. Quare Cenni multos offenderunt, ita ut VV. DD. quoque modo eos tollere studentes, negaverint, omnino unquam talem populum fuisse, sed nomen ab indoctis tantum librariis ex Chattorum nomine corruptum (Huschb., Gesch. d. Alem. u. Franken, p. 81 sqq. Wenck, Hess. Landesgesch. II, p. 102. Mascovius, Gesch. d. Deutschen, p. 156. Zeuss: Die Deutschen u. d. Nachbarstämme, p. 327; item de Wietersheim II, p. 178, qui appellativum ducit esse nomen omnium Alpium superiorum incolarum): sententia profecto parum probabilis, cujus contrarium facile potest intelligi; nam fieri sane potuit, ut librarius pro nomine gentis alicujus sibi ignoto aliud sibi bene notum poneret, vix autem credibile est eum notissimam Chattorum gentem in Cennos tam obscuros mutasse. Cui rei deinde etiam verba Dionis (ἐπολέμησε δὲ καὶ πρός τινας Κέννους, κελτικὸν ἔθνος) adversantur, qui si hoc loco de Chattis ageret, nunquam scripsisset: „τινας" et „κελτικὸν ἔθνος",

quia Chattos, qui proximi Romanorum fines per tota saecula nunc amici nunc hostes Romanorum fuerant, gentem Germanicam esse nemo nesciebat. Denique ne immanitas quidem ingens, qua Dio hoc Cennos affectos nuntiat ullo modo ad Chattos quadrat, quorum mores tam diuturna Romanorum propinquitate profecto oportebat esse aliquantum mitigatos. — Alii (Mone, Urgesch. d. Badisch. Landes II, 276. Brandes, die ethnograph. Verhältnisse d. Kelten u. Germanen, p. 202, cui verisimile videtur, eos Alemannos esse) e difficultatibus se expediunt eos foederis Alemannici participes fuisse statuentes, certa nulla alia de causa, nisi quod Antoninus eodem fere tempore cum iis atque cum Alemannis bellum gerebat. Alii denique (Rommel I, not. p. 2 et Müller: Die Deutsch. Stämme und ihre Fürsten, p. 269) ob eandem illam rem Chattorum vel Hermundurorum gentes eos ducunt, atque ille quidem populum pastorium in Moeni regionibus habitantem, hic comitatum. Quomodo in terra plane silvosa — quales tunc Moeni regiones fuisse quum per se non possit negari, tum Tacitus testis exstat — populus pastorius vivere potuerit, difficile est intellectu, omnino non intelligitur, si ejus multitudinem respicimus, quum tantam ejus vim fuisse proditum sit, ut totum Romanorum exercitum paene plane perdiderit, quae res locis apertis et in pratis, ubi profecto populum pastorium vivere oportet, sane fieri non potuit. Huic vero alteri sententiae adversatur illud, quod mulieres a Romanis captae sunt, quum apud omnes Germanos mos esset et ex ipsa re comitatus eluceat extra terrae fines pugnatum exire sine mulieribus; si vero bellum in ipsorum Chattorum vel Hermundurorum finibus fuisset, sane non ita credibile est, pro his magnarum nemini ignotarum nationum nominibus nomen unius e comitatibus eorum poni potuisse. Accedit, quod nusquam simile exemplum invenitur alius tanti comitatus, cui praefuisse necesse erat virum totius rei militaris peritissimum atque eum, cujus nomen certe ad nostra tempora pervenisset, ut saepissime in comitatibus profecto minus magnis factum est. Itaque videtur nobis licere, illas sententias pro non firmis, rerum conditioni non respondentibus ducere. Cenni neque Chatti sunt, nec partes Alemannorum vel Hermundurorum; gens non est Germanica, sed Celtica, quod aperte eorum nomine probatur, quod significat fere: in summis montibus habitantes (Hochgebirgsbewohner). Zeuss Gramm. Celt. (Germanen und ihre Nachbarstämme s. v.

Kaledonier): Cean (kean) aus cen (caput), kymr: pen, bret: penn, altkelt: pen od. penn daher Cenner, Kenner od. Penner »Leute vom Hochgebirge«. — Forsitan primariae eorum sedes erant Alpes Penninae, quibus nomen eorum posteris est traditum. Cum Cen idem sit quod Pen et terminato Latina »inus« solum ad personas et animantia significanda usurpetur, quum porro complura Alpium nomina, ut Lepontiae, Cottiae, Vindelicae a singulorum populorum nominibus ducta sint, per analogiam, ut ita dicam, retro concludere possumus, etiam Alpes Penninas a gente Cennorum vel Pennorum nomen duxisse. Cujus gentis vestigia inesse videntur nomini Cenomanorum. Fortasse etiam nomen montis Apennini cum ea cohaeret, ex quo in magnis illis Celtorum migrationibus partem eorum discessisse vel ab aliis expulsam necesse est. Jam Caesar (B. G. III, 1) inter Penninarum Alpium incolas neque Cennos novit neque simile gentis ullius nomen; sed Plinius (III, 20) in Alpibus Grajis habitasse commemorat Centrones. Fortasse maxima pars emigrantium in Rhaetiam profecta ad Ticinum et lacum Verbanum consedit (si quidem licet, vocem illam: »Cenninus«, quam apud Amm. Marcellinum XV, 4, Gregorium Turonensem et Sidon. Apollinarem carm. V, exstare supra commemoravimus, pro Cenninus accipere) altera pars in loca, quibus nunc St. Gallen nomen est, potuit pervenire (quacum sententia Flori ille locus (IV, 12) congruet, si quidem illud »Scennos« non in Senones sed in Cennos correxerimus; tum enim illi inter Breunos circa Rheni fontes et Ticinum superiorem, et Vindelicos ab Alpium parte septentrionali habitantes consedissent; ut etiam sexto p. Chr. n. saeculo St. Columbanus in ea regione silvam reperit (Pertz vita St. Galli II, p. 10) et secundum Barthium (Teutsche Urgesch. t. I, p. 311) nunc silvae alicui ad oppidum, quod Sargans vocant, in provincia »St. Gallen« nominata, sitae nomen »Sennwald« est. Quam ob rem de Wietersh. Cennos ut montanos in hac Alpium parte sedes habuisse statuit, indeque eos exercitui in via meridionali a septentrionali Alpium parte Rhenum versus superiorem proficiscenti, quem e Rhaetia venisse putat (p. 179 sqq.), supervenisse, permotos illos quidem et fortasse etiam adjutos ad Alemannis: quam sententiam secundum ea, quae supra diximus, de bello cum Alemannis gesto prorsus falsam rejiciendam nobis esse apparet, utpote quae omnibus testimoniis, in fontibus de illis bellis traditis adversetur. Contra in regionibus a

meridionali Moeni superioris parte usque ad ripam superioris Danubii septentrionalem sitis, in terris Onoldinis et Colebachinis irrigatis Tubero, Redneso, Pegneso, Rezato amnibus Cenni ineunte tertio saeculo sedebant, ibique in eos Antoninus Caracallus incucurrit. Etiam nostris temporibus nomen eorum servatum est fluvio »Zenn«, qui plane fere ab occidente in orientem fluit et in Regnesum amnen illabitur, et vicis, quibus nomina sunt: »Oberzenn« et »Langenzenn« (Reinhard, de Cennis priscis Franconiae incolis programma, quod a me inspici non potuisse doleo; de Wersebe, p. 139 et 227. Hos sequitur de Spruner in Atlante antiquo, apposito tamen signo interrogationis). Quas in regiones, quomodo illi pervenerint, dubito an aliter dijudicari possit, nisi si putamus, migratione cum aliis Helvetiorum gentibus id factum, quos Ptolemaeus sub nomine communi Armalausorum complectitur, quorumque sedes ab occidente limitem, a meridie sinistram Danubii ripam tangebant; has enim terras a gentibus Celticis obtentas fuisse vel saltem ad Celtorum terram pertinuisse, tradit Tacitus, qui eas, ut Helvetiorum proprias, incultas ac plane silva Hercynia obtectas novit. Quanquam quod incultae dicuntur, id sententiae illi, Cennos ibi et Armalausos fuisse, non adversatur, quia Tacitus toto saeculo ante hoc tempus scripsit et interea gentes eas occupare potuerunt, praesertim quum bello Marcomannico et post id gentium sedes omnes fere mutarentur; adversatur vero Ptolemaeus, qui neque in singulis Armalausorum gentibus neque usquam prope eas Cennos commemorat, sed illos continuo a septentrionali parte Μαρουΐγγων aperte Germanicorum habitantium a superioris Moeni regionibus septentrionalibus finitimos dicit, quos aut (Zeuss, p. 308) Alemannorum aut Chattorum (de Spruner) partem putant esse VV. DD. Itaque etiam Ptolemaeus sicut Tacitus omnem terram inter superiorem Moenum et Danubium Celticam novit et Cennos ut κελτικὸν ἔθνος ex tota rerum conditione in ea tantum regione fuisse oportet, quia Antoninus statim post expeditionem Alemannicam et Chatticam in eos incucurrit, neque alibi usquam juxta liberos Germanos Celticae liberae gentes reperiuntur, quales Cennos fuisse oportet ex eo, quo a Dione eorum fit mentio, modo, unde Romanis eos plane ignotos fuisse apparet.

XI. Eckhel ad a. 214, quem Clinton quoque secutus est, haec bella contra Alemannos Cennosque gesta pugnamque apud Moenum

commissam a. 214 demum accidisse opinatur, quanquam jam a. 212 vel 213 imperatorem in Galliam profectum putat. Ut igitur longo temporis inde ad a. 214 spatio aliquid tantum actum referret, utque nummis multis anni 213 ad victoriam Germanicam pertinentibus satisfaceret, statuit ille Antoninum a. 213 ad Rhenum cum minoribus gentibus Germanicis et Celticis bellum gessisse, quarum nomina neque indicat, neque indicare potest, deinde Romam regressum triumphasse, quod factum esse e nummo a. 213 apparet, ac postea a. 214 urbem reliquisse, quod tamen, quo tempore acciderit, non accuratius definitur, rursusque in Germaniam reversum de Alemannis cet. victoriam reportasse, denique eodem anno Nicomediam profectum, quam sententiam praecipue cognomine »Imp. II« quod a. 213 et »Imp. III«, quod a. 214 invenitur, vult comprobari. Quae sententia etiam Tillemontio viro celeberrimo placet, freto illa quidem lege ab imperatore Non. Febr. a. 214 (cod. Just. VII 16, 2) lata. Tamen haec omnia non sufficiunt ad verisimilem reddendam sententiam, quam re vera probari non posse e simplici conspectu temporis spatii rerumque quae eo gestae dicuntur tam tardarum elucet. Quae enim rationum illarum maxima est, illud »Imp. II«, quod tamen Gruter (p. 150, 5) jam ad tribunic. potest X (ad a. 207) habet, nihil aliud comprobat, nisi aliquam gentem ab Antonino esse victam, quae gens, cur non esse possint Alemanni, non video; tum enim illud »Imp. III« a. 214, quod illi ad Alemannos referunt, ad bella cum Marcomannis, Sarmatibus et Gothis a. 214 gesta pertineret. Accedit, quod in Rheni et Moeni regionibus nullum omnino exstat monumentum a. 214, quum a. 213 inscriptiones sint paene innumerae (cf. Steiner); accedit porro (quod quidem vel maximi momenti esse censeo), quod Dio 77, 16 aperte ac manifeste commemorat, exeunte eo anno Antoninum Nicomediam venisse. Inter Romam et Moguntiacum spatium est secundum Itinerarium (quae via est brevissima) circiter 170 mill. nostr., inde Nicomediam secundum Danubium, ubi erat via magna, si rationem habemus ambagum et per Daciam et multarum in Asia minore usque ad Pergamum et retro migrationum, via erat saltem 500—600 nostr. mill. Etsi igitur exercitum terna singulis diebus mill. emensum putamus, tamen necesse est eum toto hoc itinere octo menses consumpsisse, vix computatis diebus quieti datis et commorationibus

in oppidis quibusdam ad eorum res administrandas admissis (Herod. IV, 7). Huc accedunt: mora belli Alemannici, diuturnior in Germania postea commoratio (versabatur autem etiam mense Majo in terra, quae nunc »Baden« vocatur, quod e Dione apparet), rationes partim pacificatoriae, partim bellicae, quae ei erant cum gentibus in septentrionali Danubi ripa habitantibus, bellum cum Gothis ad fines Daciae gestum, diuturnior in Thracia commoratio, quo ad formandam cohortem Pitanaticam (Herod. IV, 7) e Laconia juvenes arcessebat, exercitus impositus et expositus in trajectu in Asiam minorem, quae res omnes tam tardae sunt, ut etiamsi statuas, eum paullo post edictum illud editum ineunte fere Martio profectum, tamen fieri non possit, ut jam eodem anno Nicomediam venerit. Itaque sententiam illam rejiciendam esse apparet.

XII. Quanquam a nullio traditum est, imperatorem e Germania Romam rediisse, tamen, ut jam Tillemontius ex lege ille Non. Febr. a. 214 lata, et Eckhel e nummis triumphalibus et congiariis a. 213 censuerunt, illud accidisse manifeste apparet ex eo, quod fontes nostri multis locis Antonini cognomen Caracalli (sic enim est, non Caracalla, quod apud recentiores demum circa finem saeculi tertii reperitur) a veste aliqua ductum exhibent, quam e Gallia eum Romam attulisse nuntiant (Vict. Epit. XXI: quum Gallia vestem devexisset cet. — Dio 78, 3: ἐν γὰρ τῇ Συρίᾳ τῇ τε Μεσοποταμίᾳ Κελτικοῖς καὶ ἐσθήμασι καὶ ὑποδήμασι ἐχρήσατο . . . . ὥστε καὶ Καράκαλλος διὰ τοῦτ' ἐπικληθῆναι. — Spart. i. Car. IX: Ipse Caracalli nomen accepit a vestimento, quod populo dederat . . . . id. i. Sever. XXI: quamvis et vestimenta populo dederit (unde Caracallus est dictus) — et item Hieron. ad Euseb. et Cassiod.). Terram intelligendam esse Germaniam, infra demonstrandum erit; hoc loco id nihil ad rem, quum e fontibus manifeste eluceat, Antoninum vestem illam peregre, seu e Gallia seu e Germania, Romam devexisse. Si igitur Tzschucke (edit. Eutrop., p. 613, not. II) vestimentum illud jam a Severo Romam perlatam statuit, auctorem afferens Spartianum i. Sev. XXI (ubi exstant haec: »vixit denique diu in odio populi Antoninus; quamvis et vestimenta populo dederit [unde Caracallus est dictus]«) is est error ob subjectorum commutationem ortus. Neque magis Salmasii sententia, jam antea Caracallos Romae fuisse, mutatas tantum esse ab Antonino, placet, quum Victoris testimonio ad-

versetur. Itaque constat, solum Antoninum eas Romam detulisse; oriturque porro quaestio, quo tempore id factum esse possit. Juvenis Roma bis tantum: a. 208 in Britanniam proficiscens, et a. 212, Geta necato, discessit; itaque, si post bellum Alemannicum non rediit in urbem i. e. si eam inde ab a. 212 non amplius vidit, caracallas illas solum a. 211 cum patris cinere e Britannia rediens Romam afferre potuit. Verum enimvero traditum est, illum tot consilia et deliberationes fratris tollendi et imperii sibi soli parandi in mente agitasse, ut non verisimile sit, eum ad vestimenta aliena animum advertisse. Sed etiamsi hoc concedimus, quod tamen toti rerum statui vel maxime adversatur, tamen omnino non potest credi, in terra, quae jam duo saecula et dimidium provincia Romana et amplius saeculum omnibus Romanorum moribus imbuta erat, pristina vestimenta militaria conservata iisque imperatoris transeuntis animum adversum esse. Itaque dubitari nequit, quin Antoninus Caracallus non a. 211, sed postea Romam devexerit, quod solum a. 213, post prima ejus bella Germanica fieri potuisse intelligitur, quia posthac i. e. post initium a. 214, urbem nunquam vidit et quia eum tunc regressum esse etiam illis nummis triumphalibus et congiariis, qui absente imperatore haud facile cudebantur, aperte comprobatur.

XIII. Quod nunc inter omnes constat, vestem illam »caracallam« ab Antonino indui solitam ab eoque et exercitui et populo datam Celticam esse, id revera duobus tantum e testimoniis VV. DD. eruerunt: e Vict. Epit. XXI (»quum Gallia vestem devexisset«), quem dicere, eam e Gallia delatam, negari non potest; et Dione (78, 3: ἐν Συρίᾳ κελτικοῖς καὶ ἐσθήμασι καὶ ὑποδήμασιν ἐχρήσατο) qui quidem obiter tantum legenti de Celtica veste et calceis videtur loqui. Nihilominus demonstrari potest, caracallas fuisse vestitum Germanicum et e Germania Romam allatas esse. E voce quidem Caracallus, Καράκαλλος, et Καράκαλος (ut Paeanius et Jul. Pollux exhibent) nihil certi neque ad hanc neque ad illam sententiam erui potest, quum radix sit obscura; at innumeris fontium locis sententia nostra comprobatur. Primum de vestitu Germanico, quo Antoninus in Germania utebatur, Herodianus aequalis loquitur verbis minime obscuris (IV, 7): Πολλάκις δὲ καὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος χλαμύδα, ἠμφιέννυτο τὰ Γερμανῶν περιβλήματα· ἔν τε χλαμύσιν, αἷς εἰώθασιν, ἀργύρῳ πεποικιλμέναις ἑωρᾶτο. κόμας τε τῇ κεφαλῇ

ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ ἐς κουρὰν τῶν Γερμανῶν ἠσκημένας —; quae verba aliter explicari nequeunt, nisi ut nostram firment sententiam; deinde vero duo illi loci: Vict. Epit. XXI et Dio 78, 3, videntur tantum veteriorem illam sententiam comprobare, revera comprobant nostram, quum Vict. sub voce »Gallia« id quod jam ante eum per quinque saecula factum erat, omnem terram inde ab Oceano Atlantico usque ad Albim flumen intelligat, itaque totam occidentalem Germaniae partem comprehendat. Qui idem casus reperitur apud Florum (III, 3), ubi Cimbri et Teutones fugientes ex ultima Gallia ad Oceanum sita dicuntur; quumque Florus Livium potissimum auctorem secutus sit, credere possumus, etiam hunc egregium rerum scriptorem Galliam priscam et genuinam Cimbrorum sedem esse putasse, qui re vera (in epit. l. 77) Cimbrum illum captum, qui Marium interficere jussus erat, Gallum dicit. Item Cicero de provinciis consularibus: »ipse ille C. Marius . . . . . influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.« Item Sallust. i. Jug. 114: »Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Qu. Caepione et M. Manlio male pugnatum . . . . . «, quod pertinet ad proelium apud Rhodanum prid. Non. Oct. a. 105 commissum, ubi Cimbri totum Romanorum exercitum deleverant. Titulo alicui tabernae superposito, in quo pictus erat vultus Cimbri alicujus linguam efferentis, nomen erat »scutum Cimbricum«; Cicero vero (de orat. II, 66) et Plinius (35, 4) »Gallum hominem« vocant. Maxime sententia illa probatur Monumento Ancyrano, ubi Augustus dicit: »Gallias et Hispanias provincias quousque eas alluit Oceanus a Gadibus ad ostium Albis fluminis — composui« — addicens ille quidem Galliam, terram omnem ultra Rhenum usque ad Albis ostium. Pergit: »signa militaria compluria per alios duces amissa devictis hostibus recepi ex Hispania et Gallia et a Dalmateis.« Sub signo in Gallia recepto nihil potest intelligi, quum ejus temporibus in Gallia propria bella non sint gesta, nisi aquila quae a. 16 Chr. n. Lollio victo Sigambrorum in manus incidit. Atque ipse Aurel. Victor alio loco (c. XVI) aperte indicat, se terras a septentrionali Danubii et ab orientali Rheni parte sitas pro Gallicis habere, quum dicat de bello Marcomannico i. Epit: »perque omnem Orientem, Italiam Galliamque bella fervebant;« et idem de Caes. XVI: »Triumphi acti ex nationibus, quae regi Marcomaro ab usque urbe Pannoniae, cui Carnuto nomen

est, ad media Gallorum protendebantur;« ita ute testimoniis tam gravibus, quorum ad haec magnus numerus potest afferri, appareat, illam sententiam, Aur. Victorem etiam hoc loco sub Gallia Germaniam intelligere, esse rectam. — Restat etiam, ut locum Dionis (78, 3), ubi loquitur de Celticis vestibus et calceis in disquisitionem vocemus. Apud eum vero Κελτικός plerumque significat: Germanicus, sic l. 39: ὁ δὲ Ῥῆνος . . . . . ἐν ἀριστερῷ μὲν τήν τε Γαλατίαν καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας αὐτὴν, ἐν δε δεξίᾳ τοὺς Κελτὸυς ἀποτέμνεται. Deinde Chatti, Usipetes, et Tencteri, gentes sane Germanicae, ei sunt Celtae; paullo infra: »Augustus metuens Germanos et Galatos, Roma omnes Celtas et Galatos expulit.« Eadem ratione provinciarum Romanarum Germaniae superioris et inferioris incolas vocat et l. 53, 12 manifestissime indicat sibi Celtas et Germanos prorsus eosdem esse: Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν . . . κ. τ. λ. l. 54, 20 sub Augusto Celtae in Galliam irrumpunt et Lollium vincunt, qui Celtae sunt Sigambri. His ex omnibus rebus colligitur, illum Dionis locum (78, 3) haud ita multum valere ad sententiam illam veteriorem affirmandam; et ne hic quidem errabimus nostrae potius sententiae eum testem tertium vindicantes, quam ob rem eam nullo omnino fontium loco redargui intelligitur. Jure igitur vestitum illum a majoribus nostris sumptum nobis persuadere possumus; quare etiam magis studio nostro commendatur imperator Antoninus, qui primus e barbaris ξανθὰς κόμας et περιβλήματα recepit, ispe gestavit usumque in omnibus terris cultioribus frequentem reddidit. Inde igitur ab eo tempore Germanicus vestitus videbatur ad Tigrim, ad Aethiopiae fines, ad oram desertorum Africae interioris, sicut in Graecia, Hispania, Italia.

XIV. De Wietersh. II, p. 128 sqq. et 182 sqq. contra omnia fontium testimonia, quae talem Valeriani et Gallieni tempora praecipientem Gothorum expeditionem certe commemorassent, jam nunc Gothos trans Istrum in Haemi terras progressos, vel, quod fieri sane potuisse censet, navibus ex Ponto Asiam minorem inferiorem, quae est propior solis occasum, diripuisse opinatur, ita ut Antoninus aut in via Byzantium ducente, aut ad Hellespontum, aut inter Nicomediam et Ancyram in eos incurrerit. Quam conjecturam probare vult verbis, quae i. Spart. Car. X. leguntur: »quos (Gothos) ille, dum ad Orientem transiit, devicerat«, quibus revera imperator in Gothos incidisse ad ipsum Hellespontum vel proxime eum videtur. Tamen res aliter se habet, quia his verbis auctor totam profectionem inde ab initio ex Alemannia ductam significat, respiciens inprimis ad ejus consilium et finem; quod apparet ex cap. V, ubi Antoninus in Germania profectionem in Orientem parat. Ipse de Wietersh., quam non verisimilis esset hypothesis sua, non ignoravit, addens ille quidem: »Indess bleibt dies Alles Konjectur, die Wahrheit ist nicht zu ermitteln.«

XV. Apud Dionem (78, 27) pro Dancrigis Daci exstant, quapropter Reimarus recte credens, Dacos in Daciam irrumpere non posse, lectionem illam proposuit, quae quum Dancrigi liberi Romanorum finitimi essent, sane est verisimillima, quae adeo certa fieret, nisi Aur. Victor post regnum Decebali a. 105 Chr. n. deletum quum alios populos huic regi antea subditicios, tum Dacorum partem ad septentrionem versus emigrasse nuntiaret. Neque omnino nequit cogitari hos tum Gothis consociatos in pristinam suam patriam effluxisse. Attamen quum nomen eorum inde ab anno 105 non jam exstet neque ullus de novis eorum sedibus nuntius ad nostram aetatem permanarit, haec combinatio prae ea, quam Reimarus protulit, non videtur verisimilior.

XVI. Fallitur de Wietersh. II, p. 181 si ex Herodiano IV, 8: „ἀπό τε τῆς Σπάρτης μεταπεμψάμενος νεανίας, Λακωνικὸν καὶ Πιτανάτην ἐκάλει λοχον“, colligit, Antoninum e Thracia in Peloponnesum sese contulisse, quum illud »μεταπ. νεαν.« nihil significet, nisi arcessere. Tum vero fontium illis locis supra allatis adversum est, neque omnino comprobandum, si eum e Graecia navibus recta Pergamum venisse putat.

VITA.

Natus sum ego Paulus Nisle Riesenburgii in oppido Borussiae occidentalis IV Cal. Octobres anni 1841 patre Lodovico, matre Carolina Lodovica e gente Vogel, quorum morte praematura mihi ereptorum memoriam carissimam colere nunquam desinam. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola Riesenburgensi imbutus gymnasium Marienwerderanum ab anno 1849 per tria semestria, dein per idem temporis spatium Elbingense frequentavi, quod, quum chilias equitum loricatorum, cujus rei medicae pater praefuit, e Borussia occidentali in Silesiam inferiorem stativa moveret, cum gymnasio Lissensi commutandum mihi erat. Septem ibi peractis semestribus, accidit, ut calamitate miserrima oculorum meorum acies prorsus fere exstincta sit.

Domum me ideo reversum ut ad studia humanitatis ac litterarum ingredienda — quod semper in votis habui — idoneum redderet, quanto amore et labore pater optimus sit enisus, satis dicere nequeo. Mortuo illo conditione et negotiis varie mutatis denique Vratislaviae gymnasium regium catholicum, quod auspiciis directoris Wissowa v. ill. floret, cui animum gratissimum semper servabo, per semestre unum frequentavi. Anno 1862 maturitatis testimonio instructus almae universitatis civibus rectore magnifico Semisch adscriptus sum. Ibi studiis historicis et philosophicis totum me dedens per octo semestria scholas adii doctissimorum virorum Bernays, Braniss, Haase, Herz, Junkmann, Neumann, Oginski, Roepell, Rossbach, Semisch, Schmoelders, Tellkampf, quibus omnibus praeceptoribus meis inprimis Junkmannio et Roepellio vv. celeberrimis optime de me meritis, quorum auspiciis utriusque regii seminarii historici sodalis fui, quantam debeam gratiam nunquam sane obliviscar.

THESES.

I. Aztecarum regnum non Ferdinandus Cortez delevit, sed sibi ipsi paraverunt interitum.

II. Odoacer e gente Welfica fuit.

III. Severus atque inprimis Antoninus Caracallus effecerunt, ut cum summo reipublicae Romanae detrimento imperatores usque ad Diocletiani tempora per exercitus creati sint.

IV. Regnum Lydorum a Cyro non a. 549, sed a. demum 546 deletum est.